



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

NUMERUS SEXTUS!

Eucharistica Institutio, est Incarnationis extensio; & Cardinalia Fidei Mysteria per Eucharistiam exhibentur, recoluntur, & quodammodo dilatantur, ad consummationem majoris gloriae Sanctissimæ Trinitatis, per Christum in Eucharistia residentem, usque ad finem mundi.

§. I.

DE cætero sicut Verbi Incarnati Mysterium, Deus Homo in se omnia continens tanquam perfectissima & summa ac infinita in actu primo Divinitatis communicatio ad extra: est absolutissima imago Sanctissimæ Triadis, ut demonstratum est sufficienter. Sic præclarissima ejusdem Trinitatis expressio, manifestatur fidelibus in admirabili Eucharistiâ; omnium mirabilium Trinitatis Divinæ maximo compendio, quod est extensio Incarnationis, ut loquun-

tur, Patres & Doctores Ecclesiæ. Sicut enim idem numero Christus existit totus substantialiter in tribus Hostiis consecratis, & tres illæ Hostiæ consecratæ realiter à se invicem distinguuntur, cum tamen essentiam habeant planè eandem, nimirum eundem omninò Christum, idem compositum ex Persona Verbi, Divinitate, Anima, & Carne Christi, cum omnibus quæ tres illas substantias concomitantur. Ita eadem essentia Divina, existit in tribus Personis, realiter distinctis, licet eandem omninò habeant substantiam indistinctam, individuam, ac indivisibilem. Sicut ergo tres sunt Personæ in Unitate Divinæ substantiæ, ita in Eucharistiâ in quâ totus Christus substantialiter, continetur, tres sunt substantiæ in Unitate Personæ Divinæ: & sicut Trinitas Divina tribus modis existit in omnibus, per essentiam, per potentiam, per præsentiam; sic idem Christus perfectissimum Trinitatis Symbolum secundum naturam humanam Verbo hypostaticè unitam, tribus modis in rebus existit, scilicet localiter in Cælo, perso-

naliter in Verbo , Sacramentaliter in Eucharistiâ. Sicut enim secundum Divinitatem totus essentialiter est in omnibus , ita secundum humanitatem totus Sacramentaliter & substantialiter est in omnibus locis in quibus Eucharistia , sub speciebus panis & vini realiter existit. Sive in manibus Sacerdotis , statim peractâ consecratione , sive in Altari permanens , post Sacrificium in tabernaculis , sive ubicumque , etiam in luto Eucharistia reperiatur.

§. II.

Similiter ex immeatione , circum-
inceptione , & inseparabili inexistentiâ trium Personarum Divinarum , quæ per concomitantiam existunt in Eucharistiâ : datur nobis cognitio , & renovatur memoria Divinæ Trinitatis , in qua Pater , Filius , & Spiritus Sanctus inseparabiliter in seipsis mutuò existentes , sunt in una eadem substantia Divinitatis indivisæ. Pater in Filio , Filius in Patre , uterque in Spiritu Sancto ; & Spiritus Sanctus in utroque , ut ab utroque , sicut ab uno